







Disputatio Iuridica

De

18 479 3

~~XLV~~

# TESTAMENTIS,

QUAM

1624 7

IN NOMINE SACROSANCTAE  
TRINITATIS

SUB PRÆSIDIO

*Consultissimi, Excellentissimiq; Viri*

DN. GEORGII DAVIDIS

LOCAMERI, I.V.D. SPECTABILIS

Facultatis Iuridicæ Decani, ac Pro-  
fessoris publici,

PRAECEPTORIS AC FAVORIS SVI  
*plurimum colendi,*

Die Decembr,

*In Auditorio Ictorum ventilandam  
proponis*

JOHANNES CRETSCHMAR BRESLENSIS.



ARGENTORATI,

EXCUBEAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXIV

8

alg.







MAGNIFICIS, GENEROSIS,  
NOBILISSIMISQUE  
VIRIS

DN. FRIDERICO à GELL-  
HORN, DOMINO PRÆDIORUM, Rogaw / Wengels-  
dorff / Peterswalde / Weiskersdorff / Mersdorff &c. POSSESSORI  
FEUDI REGII in Schweidnitz / S. CÆS. MAIEST.  
CONSILIARIO MERITISSIMO AC  
FELICISSIMO:

DN. LEONHARDO à GELL-  
HORN ET Petersdorff / in Schwenebrüg  
& Pschiederwitz:

DN. FRIDERICO à GELL-  
HORN ET Petersdorff / in Jacobin  
& Cunradt:

DOMINIS AC PATRONIS MEIS MAGNIS  
AC PLURIMUM COLENDIS

IN  
SUBMISSÆ DEVOTIONIS  
ET  
PERPETUÆ GRATITUDINIS  
TESTIMONIUM

EXERCITIUM HOC ACADEMICVM  
L. M. Q.

OFFERO ET SACRUM ESSE VOLO

JOHANNES CRETSCHMAR.



Cum antiquis moribus, ultimæ defunctorum voluntates, quædam potius religione quàm legibus servarentur, crescente paulatim hominum perfidiâ, Legislatoribus anfa data fuit, ut bonarum legum autoritate, suprema mortuorum placita stabilirent, siquidem publicè expedit, ultima hominum judicia exitum habere. *l. 5. ff. Testam. quemadm. aper.* Primùm igitur apud Athenienses, cum antea non esset jus Testamentum condere, rei Testamentariæ legem quandam Solon sanxit (*Plutarch. in vit. Sol.*) quæ, sicut plurima Testamentorum requisita continebat, etiamnum nobis usitata, ita cum cæteris decem Tabulis, sine dubio, ad Romanos translata, in eosque Terminos redacta est, quos hodieque ex mente Justiniani observamus. Quando autem nihil est, quod magis hominibus debeat, quàm ut supremæ voluntatis liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium. *l. 1. C. de sacr. Eccles.* plurimùm eidem favent Legum Conditores, nobisque circa hanc erga defunctos pietatem, in præsens versari, nec injucundum visum est, & comprimis utile.

#### THESIS I.

Quoniam vero æquissimum, ut legibus vivat, qui legum beneficio tueri se velit, ideo, qui suprema sua legitimè ordinare, ac post excessum è vitâ sanctè custodiri volunt, legibus per omnia pareant necesse est, quæ de Testamentis promulgatæ sunt & observantur.

#### II.

Testamenti appellatio, an à testatione mentis, vel testando derivetur, cum subtilis magis quàm utilis sit cōtroversia, litem nostram non facimus, satis contenti, si rem ipsam intelligamus: priorem tamen allusionem firmat. *§. 1. Inst. de test. ord.*

#### III.

Est autem Testamentum, voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. *l. 1. ff. qui Testament. fac. poss.*

#### IV.

Causa Efficiens Testamenti Testator est: videlicet is, cui leges testandi facultatem non adimunt, quemadmodum impuberi. *l. 5. ff. qui Testam. fac. poss. ei cui bonis interdictum est. l. 18. qui Testam. fac. poss. filiofamilias. l. 11. Cod. eod.* (cui quidem libera Testandi facultas est in castrensi & quasi castrensi peculio. *princ. Inst. quib. non est permiss. l. final. Cod.*



*Cod. d. t. ) mente capto. l. 2. ff. eod. idem tamen, in induciis suis, quem-  
admodum cæcus, mutus tantum, aut surdus tantum, certis quibusdam  
Circumstantiis observatis, rectè condit Testamentum, de quibus vid. l.  
7. ff. & l. 8. 9. 10. C. qui Test. fac. poss.*

V.

Habens igitur Testamenti factionem, secundum Regulas  
juris Civilis, quæ formam Testamenti continent, testari debet, h. e.  
coram septem idoneis testibus ( quorum conditio, dum signant, non  
mortis tempore, spectanda est. l. 22. ff. qui Test. fac. poss. ) iisque ad actum  
hunc specialiter rogatis. l. 21. §. 2. ff. eod.

VI.

Ac mentem quidem suam, heredemque, claris verbis, liberè  
exprimere, actum hunc uno contextu absolvere, l. 21. §. 3. qui Test. fac.  
poss. & vel palàm pronuciare, vel scripto consignare debet, aut confi-  
gnari curare; consignatam manu suâ, unâ cum testibus singulis sub-  
scribere; l. 22. §. 4. ff. qui t. f. p. aut octavum subscriptorem suo loco ad-  
hibere. l. 21. pr. C. de Testam. subscriptam denique sigillorum ( sive eo-  
rundem, sive diversorum ) appensione munire. §. 6. Institut. de Testam.  
ordinand.

VII.

Omniem autem solennitatem superare videtur, quod legiti-  
mè confectum, precibus Imperatori oblatis inseritur, aut apud acta de-  
ponitur, & voluntate Testatoris non mutatâ, ejusdem morte, & here-  
dis aditione confirmatur. leg. 19. Cod. de Testament. Quod  
si aliquid Testamento desit, nec adjectum fuerit, valere id debere ut  
Codicillos, inutilis erit Testatio, ita, ut nec jure Codicillorum valeat.  
l. 1. ff. de jur. Codicill.

VIII.

A solennitatibus autem istis excipiuntur milites, quorum  
nuda voluntas sufficit ad bonorum divisionem. l. 1. in fin. princip. ff. de  
Testament. milit.

IX.

Materiae rationem aliquam habet Heredis institutio, ac Le-  
gatorum præcipuè distributio.

X.

Heredis institutio ante omnia necessaria est: non tantum,  
quoniam defunctorum interest successores habere: l. 6. de interrog. in  
jur.



jur. fac. sed etiam, quia illa omnino requiritur: *l. 1. pr. ff. de hered. institu-*  
*end. ac sine Heredis institutione, nihil in Testamento scriptum valet.*  
*l. 1. §. 3. ff. de vulgar. & pupillar. substitut.*

XI.

Dividitur autem Heredis institutio dupliciter.

XII.

Primò, alia est pura, alia sub conditione.

XIII.

Pura est, quæ simpliciter, sine ullâ conditione, jus Defuncti  
heredi defert.

XIV.

Sub conditione, cum ei conditio aliqua adijcitur, quæ ta-  
men non sit contra bonos mores. *l. 9. & 15. de condit. Institut.* Impossi-  
bilis autem conditio pro non adjectâ habetur. *l. 1. de condit. institut. l. 3.*  
*de condit. & demonstr.* Et pœnam à conditione voluntas Testatoris sepa-  
rat. *l. 2. ff. de his quæ pœn. causa relinq.*

XV.

Secundò, dividitur Institutio, in Institutionem in specie di-  
ctam, & Substitutionem.

XVI.

Institutio in specie sic dicta, est Heredis primo loco facta  
institutio.

XVII.

Substitutio, est Heredis, secundo vel tertio, ulteriorève gra-  
du, facta Institutio. *l. 1. pr. de vulgar. & pupill. Substit.*

XVIII.

Omnium autem heredum summa divisio est, quod alii sint:  
necessarii simpliciter, alii sui & necessarii: alii voluntarii iidemque Ex-  
tranei. *pr. & §§. seqq. Inst. de her. qual. & differ.*

XIX.

Legatum in genere, est delibatio quædam hereditatis, quâ  
Testator, ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum  
velit. *l. 116. de leg. 1.* comprehenditq; sub se Legatum in specie sic dictum,  
& Fideicommissum.

XX.

Legatum in specie, est donatio quædam, à defuncto reli-  
cta, ab Herede præstanda.

af.

8





XXI.

Fideicommissum, est donatio quædam, fidei Heredis à Defuncto commissa. quod, quoad vim atq; effectum, Justinianus Legato adæquavit. §. 4. *Inst. de legat.*

XXII.

Finis & Effectus Testamenti præcipuus, est delatio & acquisitio hereditatis, seu bonorum, quæ alterius, cum moreretur, fuerunt.

XXIII.

Succedit enim heres institutus in universum jus defuncti, *l. 34. ff. de iudic. l. 62. de R. l. ac propterea ejus nomine obligatur: l. 8. de acquir. vel omitt. hered. in tantum, ut vitiorum quoque Successor sit, l. 11. §. 2. de public. in rem. quemadmodum emolumentum, leg. 63. §. 8. ff. pro socio.*

XXIV.

Id autem jus acquirit vel ipso jure, & omnimodo sive velit, sive nolit: ut heres necessarius: vel ipso jure, si tamen & ipse velit, ut heres suus: vel denique facto quodam suo, & apertâ satis voluntatis suæ declaratione præcedente: aditione nimirum, aut pro Herede gestione, ut Heres extraneus.

XXV.

Contraria est Testamento præcipuè ejus ruptio, quæ fit vel posteriori Testamento legitimè confecto, vel inductione eorum, quæ in Testamento scripta erant: *l. 1. de his quæ in Testam. delentur.* vel agnatione sui heredis: *l. 8. ff. de injust. rupt. irrit. fact. Testam.* vel capitis diminutione: *l. 8. ff. qui r. f. p.* vel si contra officium pietatis factum, adeoque inofficiosum sit (liberis videlicet, non suis heredibus, præteritis; aut suis etiam, non justâ de causâ exheredatis. *l. 3. §. 4. de inoffic. Testament. eod.* vel si institutæ sint turpes Personæ, Sorores vel Fratres præteriti, aut absque justâ causâ exheredati sint. §. 2. *Instit. de inoffic. Testam.*) indeque, contra ejusmodi Testamentum, ad querelam super eo institutam, pronuncietur.

XXVI.

Quod si legitimo heredi minus legitimâ relictum sit, Testamentum querelâ inofficiosi non rescinditur. *l. 5. §. 1. de inoffic. Testam.* sed actione ad supplementum legitimæ, consequitur Heres, quod sibi deest, *de quo vid. Auth. novissim. & l. 8. C. de inoffic. Test.* Qui



XXVII.

Qui inofficiosum Testamentum improbè dixit, nec obtinuit, ejus pars Fisco vindicatur. *l. 8. §. 14. de inoffic. Testam*

XXVIII.

Qui verò semel Testamentum probavit, is illud tanquam inofficiosum amplius accusare non potest. *l. 8. §. 1. C. de inoff. Test.*

XXIX.

Quod si Hereditas Legatis exhausta sit, aut supra modum onerata, beneficio L. Falcid. quarta hereditatis pars retinetur. *l. 1. pr. ff. ad L. Falcid.*

XXX.

Quod si controversia super Testamento oriatur, sciendum, quod de eâ neque transigi, neque exquiri veritas aliter possit, aut debeat, quàm inspectis cognitisque verbis Testamenti. *l. 6. ff. de transact. l. 1. §. 1. ff. Testament. quemadmod. aper.* neque tamen verborum significatio scrupulosè nimis inquirenda, sed inprimis animadvertendum, quid Testator demonstrare voluerit, deinde, in quâ præsumptione sint, qui in quâque Regione commorantur. *leg. 18. §. 3. de instruct. vel instr. leg.*

XXXI.

Rupto Testamento, hereditas ex lege, ad heredes legitimos defertur, juxta præscriptum *Novell. 118.*

XXXII.

Primùm omnium ad Hereditatem defuncti Parentis vocantur Liberi, sine ullo collateralium, aut ascendentium respectu. *Auf. in success. C. de suis & legit. hered.*

XXXIII.

Deinde Parentes ipsius defuncti, (quibus tamen non sic debetur hereditas Liberos, ut liberis Parentum, cum Parentes ad bona Liberos ratio commiserationis admittat, Liberos Naturæ simul & Parentium commune votum. *l. 7. §. 1. ff. si tab. Testam. non extabunt, unde lib.*) nec non Fratres & Sorores utrinq; conjuncti.

XXXIV.

Tertio Collaterales. Ubi observandum, quod Fratres ac Sorores defuncti, cum Libris Fratrum ipsius defuncti, concurrentes, simul succedant, & hereditatem in stirpes partiantur: soli autem existentes Fratrum Liberi, eam in capita dividant. Inde

*al.*





XXXV.

Inde proximi quiq; Agnati Cognative, secundum gradum quorumq; prerogativam, & quidem in infinitum: post deficientes autem omnes illos, Vir & Uxor, & deniq; Fiscus. *l. 1. ff. quis ord. in bon. poss. servetur. l. 1. ff. de jur. fisc.*

XXXVI.

Illud in omni successione observandum, ut quæ infunus impensa sunt, primùm omnium deducantur, maximè, cum is, qui propter funus aliquid impendit cum defuncto contrahere credatur, non cum herede. *l. 1. ff. de religiof. & sumt. funer.*

XXXVII.

Et in dividendâ hereditate Paternâ notandum, quod quæ Pater filio, pietate debitâ ductus, non credendi animo probatus, ad studia subministravit, in portionem filii, quam ex defuncti bonis consequi debet, computanda non sint. *l. 50. ff. fam. exercisc.*

XXXVIII.

Testamento affinis quodammodo ac similis est Codicillus; qui est Testamentum minus solenne, subscriptione quinq; testium constans, quo tamen hereditas directò neq; dari, neq; adimi potest. *§. 3. Inst. de codic. l. 10. ff. de jur. Codicill.*

MANTISSÆ LOCO PROPONITUR  
CASUS.

Pestis tempore, Studiosus quidam, ultimæ voluntatis moderamina conditurus, cum Testibus necessariis destitueretur, voluntatem suam sacris Bibliis inscribit, testesque sententiæ suæ laudat SS. Prophetas & Apostolos, ac paulo post moritur. Quæritur an valeat Testamentum? N.

FINIS.

AD Dn. RESPONDENTEM.

**D**E TESTAMENTIS hac dissertatio, MENTIS  
GRETSCHMARI, doctæ est TESTIS aperta tua.

M. Matthias Bernegger Histor.  
Profess. Public.




Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020


WDM











B.I.G.

Farbkarte #13

Disputatio Iuridica

18 479

De

~~XLV~~

# AMENTIS,

1624 7

QUAM

MINE SACROSANCTAE  
TRINITATIS

SUB PRÆSIDIO

*tissimi, Excellentissimiq; Viri*

## ORGII DAVIDIS

RI, I.V.D. SPECTABILIS

ntis Iuridicæ Decani, ac Pro-  
fessoris publici,

TORIS AC FAVORIS SVI

*plurimum colendi,*

Die Decembr.

*ditorio Ictorum ventilandam  
proponis*

CRETSCHMAR BRESLENSIS.



RGENTORATI,

EBAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXIV

8

*ed.*

